

Ambrosius Petersen Heinrich Kretschmer

Disputatio Iuridica De Tutelis

Rostochii: Kilius, 1648


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732583438>

Druck Freier  Zugang



Schützmaßnahme

Petersen - Kretschmer ^{Vert.}
j. 1648.



DISPUTATIO JURIDICA
DE

46

TUTELIS,

Quam

D. T. O. M. A.

Permissu ac consensu Nobilif-
simæ & Amplissimæ Facultatis Ju-
ridicæ in Inclyta Rosarum

Academia

PRÆSIDE

DN. AMBROSIO Peterßen / U. J. D.
Judicii Provincialis Advocato
& Procuratore

Publicè examinandam proponit

HEINRICUS Kretschmer / ELBINGENSIS P,
Auth & Resp.

*In Auditorio Majori horis consuetis
die 1. Julij*

§(o)§




ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, XLVIII.

1048





DISPUTATIO JURIDICA
DE
TUTELIS.

THESIS I.



Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permessa. *l. 1. pr. ff. de tutel. §. 1. Inst. de tutel. & qui eam vim habent dicuntur tutores quasi tutores. §. 2. Inst. de tutel. l. 1. §. 1. ff. de tutel.*

II.

Ex triplici causa efficiente ea dividitur in testamentariam, legitimam & dativam. *l. 5. C. de legis. tut. l. 7. ff. Rem pupilli vel adoles. salu. for. l. 52. C. de Epis. & Cleric. §. 3. Inst. de tutel. tit. 14. m. g. ad tit. 20. Inst. lib. 1. ff. & C. tit. de testam. tut. ff. & C. tit. de leg. tut. ff. de tutor. & curat. dat. C. Qui dat. tut. vel curat. poss.*

III.

Tutelæ testamentariæ, cujus causa efficiens est testator, primus debetur locus secundum ordinem *ff. C. & Instit.* quia quamdiu hæc speratur cessat legitima *l. 11. ff. de testam. tutel. & cessante testamentaria & legitima regulariter demum locus est tutelæ dativæ. arg. l. 9. Qui daretur tutor. vel curat. poss.*

IV.

Hæc funguntur ij quos parens dedit tutores liberis suis impuberibus quos in potestate habet: *§. 3. Inst. de tutel. l. 1. pr. ff. de testam. tutel.* quiq; post mortem in alterius potestatem non sunt recasuri. *d. l. 1. §. 2. ff. de test. tutel. arg. §. 1. Inst. de tutel.* nam saltem ij, qui in potestate non sunt, in tutela esse possunt. *pr. Inst. de tutel.*

V.

Et parens non solum liberis natis, sed etiam posthumis testamento tutores dare potest, si modo in ea causa sint, ut si vivis parentibus nascerentur

rentur sui heredes & in potestate fierent. §. 4. *Inst. de tutel. l. 1. §. 1. ff. de testam. tutel.* nam qui in utero sunt, quoties de eorum agitur commo-
do, pro jam natis habentur. l. 7. 26. ff. de statu hom. l. 23. de V. S.

VI.

Solius autem patriæ potestatis intuitu cum permillum sit parenti-
bus liberis impuberibus testamento dare tutores. §. 3. *Inst. de tutel. l. 1. pr. ff. de testam. tutel.* non solum liberis heredibus institutis, sed etiam exheredatis rectè dant tutores testamento. l. 4. l. 10. §. 2. in fin. ff. de testam. tutel. quia exheredatione liberi in patria potestate esse non desinunt. l. ult. ff. unde legitimi.

VII.

Mater ergo quæ liberos in potestate non habet §. 3. *Inst. de patriæ potest. §. 10. Inst. de adopt.* iis tutores testamento rectè dare non potest. arg. §. 3. *Inst. de tutel.* liberis tamen heredibus institutis, si quos dederit, ij cum inquisitione confirmandi sunt. l. 4. ff. & C. de testam. tutel. Dati quidem emancipatis liberis à patre, etiam confirmantur, sed sine inquisitione. §. ult. *Inst. de tutel.* hi licet propriè neq; dativi, neq; testamentarii sint. l. 3. ff. de confirm. tut. l. ult. C. de autor. prest. potius tamen referendi sunt ad testamentarios quàm dativos. per §. 1. *Inst. de attit. tut. l. 1. §. 1. in fin. ff. de confir. tut. l. 32. vers. nam & prator. ff. de Excus. l. 4. C. de tut. vel curat. qui sibi non dcd.*

VIII.

Non autem solum patres, sed etiam filijfam. testamento tutores dari possunt pr. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss.* quia tutela est munus publicum pr. *Inst. de excus. tut. vel curat.* in quo patria potestas non attenditur. l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.

IX.

Servus autem, quatenus servus, tutor esse non potest, quia tutela est juris civilis §. 1. *Inst. de tutel.* cujus intuitu servus pro nullo habetur. l. 32. ff. de R. J. Servus tamen testatoris proprius & cum & sine libertate testamento tutor dari potest, quia sine libertate datus ex ipsa tutoris datione libertatem consequitur l. 5. pr. vers. cum igitur C. de necessar. serv. hered. instit. quæ vim directæ libertatis habet. §. 1. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss. & arg. l. 32. §. 2. ff. de testam. tutel.* alienus autem servus saltem sub hac conditione, cum liber erit, tutor dari potest. d. §. 1. d. l. 32. §. 2. ff. de testam. tutel. quæ etiam puræ dationi tacitè inest. l. 10. §. 4. ff. de

de testam. tutel. Pro libero autem reputatus & per errorem tutor datus neq; ad tutelam neq; ad libertatem pervenit. §. 1. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss.* l. 22. ff. *de testam. tutel.* l. 24. §. 10. ff. *de fideicom. libert.* quia errore consensui nihil magis contrarium est. l. 15. ff. *de Jurid.*

X.

Licet quoq; ij, quibus suarum rerum administratio non committitur, ad tutelam à lege vel magistratu non vocentur. l. fin. C. *de legit. tut.* attamen furiosus, vel minor 25. annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, quum furor & ætas minorennis decesserit. l. 10. §. 3. ff. *de testam. tutel.* surdus autem & mutus nec testamento, nec alio modo utiliter dantur tutores l. 10. §. 1. ff. *de legit. tut.* §. 2. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss.*

XI.

Dantur autem tutores testamento non solum purè, sed etiam ad certum tempus, ex certo tempore vel die & sub conditione §. 3. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss.* l. 8. §. 1. & 2. ff. *de testam. tutel.*

XII.

Ut tamen datio testamentaria valeat, necesse est, ut tutor datus non incertus sit. l. 20. l. 30. ff. *de testam. tutel.* & ut datus sit personæ & non certæ rei vel causæ §. 4. *Inst. Qui testam. tut. dar. poss.* l. 12. 13. 14. ff. *de testam. tutel.* aliquando tamen ob diffusum & extra provinciam distitum patrimonium certæ quoq; rei tutor datur. l. 15. ff. *de t. l. 27. pr. ff. de tutor. & curat. dat.* aliquando etiam ad certum actum. l. 9. ff. *de tut. & curat. dat.* ad quem curatoris autoritas inutilis est. l. 17. §. 1. ff. *de appell.*

XIII.

Altera tutelarum species dicitur legitima, quia eam lex citra ullum hominis factum defert, olim solum proximis agnatis. *pr. Inst. de legit. agnat. tutel.* l. 5. ff. *de legit. tut.* idq; summa providentia, ut qui sperarent successionem ijdem tuerentur bona ne dilapiderentur, ac quo hereditas, eò & tutela perveniret. *pr. Inst. de legitim. par. tutel. junct.* *pr. Inst. de legit. patron. tutel.* l. 1. *pr. ff. de legit. tutor.* Hodie autem cum emolumentum successionis tam spectet ad cognatos, quam agnatos, etiam tam illi, quam hi onus tutelæ subire tenentur. *Nov. 118. c. 3. & 5. N. Ex his autem.*

XIV.

Huic autem locus relinquitur, si quis relictis liberis impuberibus intestatus decesserit. l. 6. *pr. ff. de legit. tut.* Hic autem non saltem inte-

status decessisse dicitur is, qui plane testamentum non fecit, sed etiam is qui condito testamento liberis suis tutores non dedit: imo etiam si tutor testamento datus sit, qui tamen vivo testatore mortuus est, quia quoad tutelam nihilominus intestatus decessit. § 2. *Inst. de legit. agnat. tutel.* l. 6. ff. *de legit. tut.* l. 11. §. 3. ff. *de testam. tutel.*

XV.

Cumq; leges libertorum libertarumq; hereditates patronis deferant, t. t. *Inst. de succ. patron.* patronis quoq; per legum interpretationem eorum tutela committitur. t. t. *Inst. de legit. patr. tutel.* & exemplo patronorum etiam parentibus liberorum emancipatorum tutela demandatur t. t. *Inst. de legit. parent. tutel.* & harum utraq; etiam dicitur legitima. *dd. Juris Textibus.*

XVI.

Est autem tutela, quæ licet ex lege quoq; deferatur, legitima tamen non dicitur, quia in iis quibus defertur successionis emolumentum cessat, sed propter contractam fiduciam dicitur fiduciaria. t. t. *Inst. de fiduciaria tutela* quæ tamen hodie etiam legitima dici potest. l. 4. C. *de legit. tutel.* Nov. 118. c. 4. & 5.

XVII.

Mater quoq; & avia (licet regulariter mulieres à tutela repellantur, quia virile officium est l. C. *Quando mulier: offic. tutel. fung. Inst. in fin. de legit: patron: tutel:*) quoties ob emolumentum successionis iis tutela permittitur inter legitimos tutores accenseri videntur. l. 2. *aut b. Materi & avia. C. Quando mulier Offic. tutel. Nov. 94. c. 1. Nov. 118. C. 5.*

XVIII.

Tertia tutelarum species est tutela dativa cujus causa efficiens est Magistratus, cui jure concessa est potestas dandi tutores. Non enim quisvis Magistratus tutorem dare potest, sed is, cui vel lex, vel Sconfultum, vel Princeps id nominatim concessit, nam neq; Imperii neq; jurisdictionis est tutela. l. 6. §. 1. ff. *de tutela.*

XIX.

Ut autem à Magistratu tutores dentur, ii peti solent. t. t. ff. & C. *Qui pet. tutor. vel curat.* Eos autem quidam necessario petere coguntur: quibusdam vero id liberum relinquitur: Ex illis alii, si non petiverint, puniuntur l. 2. §. 1. ff. *Qui pet. tut. vel curat.* alii à legitima pupilli hereditate arcentur. d. l. 2, §. 1. *vers. mater l. 2. §. 23. ff. ad SCtum*

Tertull.

*Terull. l. ult. §. 2. & 3. ff. Qui sat. tut. Liberum relinquitur amicit. l. 4. C. Qui pet. tut. & nepotibus fratris. l. 10. C. d. t. & cæteris cognatis, affi-
nibus & amicis, qui proximi hereditatis successores non sunt. l. 2. ff. Qui
pet. tut. vel curat.*

XX.

His autem pupillis (quales sunt personæ impuberes sui juris. *pr. Inst. de tutel. l. 23. §. 9. ff. de V. S.*) qui neq; testamentarium neq; legitimum tu-
torem habent à Magistratu dantur tutores. *pr. Inst. de atrilian. tut. l. 9. C. Qui dar. tut. poss.* Sicut enim legitima tutela cedit testamentariæ *pr. Inst. de legit. agnator. tutel. l. 9. §. 1. ff. de tutel. & ration. distrah. l. 11. pr. ff. de testam. tutel.* ita quoq; legitimæ cedit dativa ita ut habenti legitimæ alius dari non possit. *l. 9. C. Qui dar. tut. vel curat. poss.*

XXI.

Interdum tamen tutela dativa legitimæ præponitur: veluti si testa-
mento tutor datus est sub conditione aut ex tempore, aut si jure datus
ipso actu tutor esse non possit, tunc enim non legitimæ, sed dativæ tutelæ
locus est. *§. 1. & 2. Inst. de attil. tut. l. 10. §. 11. ff. de testam. tutel.* item si ex-
cusatus sit tutor testamentarius *d. l. 11. §. 1.* Uti etiam si testamentarius
ut suspectus remotus sit. *l. 4. C. In quibus caus. tutor. vel curat. habenti
l. 2. C. de tutor. vel curat. qui satis non ded. vel si appellet vel abfit l. 2. ff.
de tut. & curat. dat. l. 17. §. 1. ff. de appell.* Finitâ autem tutelâ testameta-
riâ semel in actum deductâ ex suâ naturâ, veluti morte testatoris, non da-
tivæ, sed legitimæ locus aperitur. *l. 11. §. 3. ff. de testam. tutel.*

XXII.

Dari possunt tutores à Magistratu ij, qui non prohibentur: prohi-
bentur autem vel ratione sexus, ut foeminæ *l. ult. ff. de tutel.* vel ratione
ætatis, ut minores 25 annis. *l. ult. C. de legit. tutel. §. 13. Inst. de Excusat. Novell. 118 c. ult.* vel ratione morbi, propter quem ad tutelam admini-
strandam minus idonei sunt. *l. 1. §. 2. & 3. ff. de tutel. l. 17. ff. eod. arg. l. ult. C. de legit. tutel. l. 3. C. Qui dar. tut. vel curat. poss.* vel ratione status
veluti servi. *l. 7. C. Qui dar. tut. vel cur. poss.* vel ratione obligationis, uti
creditores & debitores pupilli. *Nov. 71.* vel ratione prohibitionis à paren-
tibus factæ. *l. 21. §. 2. ff. de tut. & curat. dat.* vel ratione officij, ut Episco-
pi & monachi *l. 52. C. de Episc. & cleric. & milites l. 4. C. Qui dar. tut. poss.* à commilitonibus tamen datus tutor esse debet, ita ut se excusare
non possit. *l. 23. §. 1. ff. de Excusation.*

23. Qui

XXIII.

Qui tamen tutores dari possunt ex eadem civitate & provincia dandi sunt, unde pupilli sunt oriundi. *l. 3. C. Qui petant tutor. l. 5. C. Qui dat. tut. poss.* Si verò ibi nullus reperiri possit, ex vicinis civitatibus peti & dari potest. *l. 24. ff. de tut. & curat. dat.* Si autem pupilli in diversis locis facultates possideant, cujusq; territorii Magistratus tutorem dare potest. *l. 27. ff. de tut. & curat. dat.*

XXIV.

Legitimo autem modo ut dentur tutores à Magistratu, purè l. e. sine conditionis & temporis adjectione dandi sunt. *l. 6. §. x. ff. de tutel. junct. l. 77. de R. j. & cum inquisitione. §. 3. & 4. Inst. de attilian. tutor. l. 24. ff. de tut. & curat. dat.*

XXV.

Tutores vel testamento, vel lege vel Magistratu ita, ut hæcenus dictum est, constituti statim tutelæ administrationem suscipere non possunt sed requiritur adhuc, t. ut administratio à judice iis decernatur. *Glof. in l. 2. pr. vers. fecit tutores de legit. tutel. Guido Papa decis. 330. cui quoq; adstipulatur ordinatio politica Carol. V. de anno 1548. Augusta lata. tit. von Pupillen vnd Minder Jährigen Kindern vers. das auch & ordinatio politica Francofurti 1577. lata. tit. 32. vers. Das ein jeglicher Vormunde.*

XXVI.

Secundo requiritur, ut prius præstent juramentum, se omnia ex fide gesturos. *l. 27. C. de Episcop. audient. l. ult. §. 5. & 6 C. de curat. furios. Nou: 72. C. 8. (3) ut conficiant inventarium. l. 7. pr. ff. de administr. & pericul. tut. l. 24. C. de adm. tut. d. l. ult. §. 5. vers. & inventario. C. de curatore furiosi. l. ult. pr. & §. 1. C. Arbitrium tutel. 4. Ut satisfactio enim requiritur ne pupillorum bona & negotia à tutoribus consumantur vel diminuuntur. *pr. Inst. de satisfact. tutor: quæ cum prætorica sit. d. pr. non fit nisi datis fidejussoribus. l. 7. ff. de stipulat. prætor. quæ tamen onerandi non sunt tutores testamentarii & cum inquisitione d. ti. d. pr. Inst. de satisfact. tut. l. 17. ff. de testam. tutel. Hodie autem secundum allegatam constitutionem de anno 1548. sub tit. von Pupillen vnd Minder Jährigen vers. item daß er. Omnes indistinctè cavere tenentur.**

XXVII.

Postquam hæc omnia præstituerint tutores, ij tutelæ gestionem

non

non solum suscipere possunt, sed etiam ad eam suscipiendam cōpelluntur. § 3. *Inst. de attilian. tut. l. 4. §. 3. ff. Rem pupilli vel adolefc. salu. for.* & si cessant, periculum tutelæ non gestæ ad eos pertinet.

XXVIII.

Gestio autem tutelæ versatur & circa personam, & bona pupilli: Quo ad personam tutores tenentur curam & rationem habere educationis, & præstandæ autoritatis. *t. t. ff. C. ubi pupillus educ. deb. t. t. ff. C. de aut. tut. præst.*

XXIX.

In educatione duo consideranda veniunt: sc. *locus*, ubi, & *modus*, secundum quem pupillus educari debet. Ubi pupillus educandus sit Prætor vel Præses provinciæ causa cognita æstimare debet. *l. 1. pr. §. 1. C. 2. l. 5. ff. ubi pupill. educar. vel morari debet. l. 1. C. ubi pupillus educ. deb. qui etiam aliquando à voluntate defuncti recedere potest, quia illius est officium providere, ut sine ulla maligna suspitione alatur partus & educetur. l. 1. §. 1. ff. ubi pupill. educ. deb. l. 2. in fin. C. eod.*

XXX.

Modus educationis consistit in præstandis alimentis, in quibus is regulariter servari debet, qui à prætore vel patre statutus est *l. 2. §. 1. C. 3. ff. ubi pupillus educ. vel mor. deb.* aliquando tamen ipse tutor bonus vir & integer suo arbitrio pupillos alere potest, quia non semper expedit secreta patrimonii & suspectum æs alienum pandere. *l. 2. C. de alim. pupill. præstand.*

XXXI.

Autoritatis præstandæ etiam rationem habeant tutores necesse est, quia non tantum pupillorum negotia gerere, verum etiam ea quæ pupilli ipsimet agunt, regere & juvare debent. *arg. l. 5. ff. de R. J. C. t. t. ff. C. de aut. præst.*

XXXII.

Est autem autoritas nihil aliud quam istius, quod à pupillo agitur, expressa approbatio. *l. 3. 4. 14. ff. de autor. C. consens. tutor.* quæ interponi debet in ipso negotio, § 2 *Inst. de autorit. tut. i. c.* statim perfecto negotio non ex intervallo *l. 25. §. 4. ff. de adquir. vel. mitt. heredit.*

XXXIII.

Ea tamen semper interponenda necessariò non venit: Nam pupilli etiam sine autoritate tutoris conditionem facere possunt meliorem *pr. Inst. de autorit. tut.* unde stipulari sibi & donatum accipere possunt *l. 9. ff. de autorit. C. consens. tutor.* Hereditatem tamen, quamvis lucrosam, adire non possunt, nisi cum tutoris autoritate. §. 1. *Inst. de autor. tut.* tùm quia hereditas adeunda est vero & certo animi iudicio. *l. 20.*

l. 88. ff. de *adquir. vel om. hered.* tùm quia heres adeundo hereditatem creditoribus & legatariis obligatur. §. 5. *Inst. de oblig. quæ ex quasi contract. arg.* l. 24. ff. de *V. S.* l. 62. ff. de *R. J.* obligari autem pupillos sine tutoris autoritate, est contra juris rationem. *pr. Inst. de autorit. tut.*

XXXIV.

In iis autem causis ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, opus est autoritate tutoris *d. pr. Inst. de aut. tut.* nam alias ij qui contrahunt cum pupillis saltem obligantur, & pupilli invicem iis non obligantur. *d. pr. sc. civiliter.* l. 43. ff. de *O. & A.* nam pupillum pubertati proximum, qui consentire potest obligari naturaliter probatur. l. 127. ff. de *V. O. junct.* §. 1. *Inst. de fidejussor.* l. 95. §. 4. ff. de *solut.* l. 1. ff. de *novat.* tam efficaciter autem non obligatur ut sibi nocere possit. l. 29. l. 41. ff. de *condict. indeb.*

XXXV.

Gestio tutelæ, quæ circa bona pupilli versatur consistit in administratione: Eaq; competit vel uni vel pluribus. Uni competit vel ex voluntate testatoris: uti enim in aliis ita quoq; in administranda tutela testatoris voluntas servanda est, quem itaq; prætor confirmare debet. l. 3. §. 1. ff. de *administ. & peric. tut.* l. 3. §. 5. ff. *judic. solv.* interdum tamen prætori à voluntate testatoris recedere licet. l. 4. ff. de *testam. tutel. junct.* l. 10. ff. de *confirm. tut.* l. 5 §. 9. ff. de *adm. & peric. tut.* vel competit uni ex consensu contutorum. *d. l. 3. §. 7. ff. de administ. & peric. tut.* l. 19. §. 1. ff. de *testam. tutel.* §. 1. *Inst. de sacrd. tutor. vel curat.* vel competit uni ex decreto Prætoris si inter se dissenserint tutores in eligendo. *d. l. 3. §. 7. ff. de adm. tut.* Alias si omnes velint administrare Prætor id permitteat. l. 3. §. 8. ff. de *adm. & peric. tutor.*

XXXVI.

Omnes autem cum gerunt, tunc gerunt aut pro indiviso aut diviso. Pro indiviso gerentes onus periculumq; tutelæ paribus humeris sustinent. l. 2. *C. de divid. tutel.* & quod quisq; bona fide gessit, id quoq; ratum haberi debet ab aliis. l. 3. *pr. ff. de adm. & peric. tut. arg.* l. 7. §. ult. ff. de *curat. furios.*

XXXVII.

Pro diviso gerunt vel ex voluntate testatoris, vel Judicis arbitrio. *d. l. 2. C. de divid. tutel.* quo casu singuli saltem pro sua administratione tenentur nisi per dolum vel culpam suspectum vel plane non vel nimis sero

serò removerunt, vel suspitionis causam agendo sua sponte jura pupilli prodiderunt. *d. l. 2. vers. In divisione. C. de divid. tutel. vel ex mutuo contutorum consensu, cujus autem tutelæ divisæ periculum nihilominus omnibus commune est. d. l. 2. in fin.*

XXXVIII.

Maximam affinitatem Cura habet cum Tutela: itaq; quæ hæcenus diximus de Tutelâ constituendâ eaq; administrandâ, pleraq; etiam obtinent in Cura.

XXXIX.

Differunt tamen nonnullis: nam (1.) in Tutela sunt impuberes § 3. *Inst. de tutel.* In Cura verò sunt puberes. *pr. Inst. de Curator.* (2.) Tutela principaliter spectat ad personam pupilli. §. 1. *Inst. de tutel.* §. 4. *Inst. Qui testam. tut. dar.* Cura ad bona seu res minoris. *pr. in fin. Inst. de curat.* (3.) Pupillietiam inviti in tutela sunt; puberes verò in cura non sunt nisi volentes. §. 2. *Inst. de curat.* quibus tamen invitis etiam datur Curator in litem *d. §. 2.* quia minores legitimam personam standi in judicio non habet *l. 2. C. Qui legitim. person. stand. in judicio non habent.* (4.) Cura versari potest circa singula negotia. §. 2. *Inst. de curat. l. 8. ff. Rem pupill. saly. for.* Tutela verò datur personæ. §. 4. *Inst. Qui testam. tut. dar. post. & ad universum patrimonium §. 17. Inst. de Excus. tut.* (5.) Habenti tutorem datur curator non autem tutor §. 5. *Inst. de curat.* nisi testamentarium habeat, qui nondum administrat. §. 1. & 2. *Inst. de attilian. tut.* aut nisi administrans impeditur impedimento plenario, à quo non est regressus ad tutelam. §. 5. *Inst. de curat.* tutorem autem legitimum nondum administrantem habenti interim datur Curator. *l. 10. § 7. ff. de excusat.*

XL.

Tutelæ contraria sunt quibus tutela suscipienda impeditur vel quibus suscepta plane finitur: In illorum numero sunt omnes justæ causæ à tutela excusationem præbentes: quarum aliæ pro parte tutorem liberant *l. 2. II. C. de excusat. tutor. tut. vel curat. §. 2. Inst. de excus. tut. l. 19. l. 21. §. 2. ff. eod. fol.* aliæ in totum excusant. *pr. §. 4. 5. Inst. de Excus. tut. & pert. t. ff. & C. de excus. tut. vel curat.*

XLI.

Justæ autem excusandi causæ cum sine difficili negotio ex *tit. Inst. & ff. de Excusat.* colligi & intelligi possint, iis recensendis, ne chartæ nimis videamur prodigi, hic superfedemus sub hac tamen protestatione, ut eò nemini de iis nobiscum differendi ademptum sit arbitrium.

XLII.

Qui autem se excusare possunt protinus appellare non tenentur. §. 16. *Inst. de Excusat. l. 13. pr. ff. de Excusat. l. 18. C. eod.* sed causas excusandi intra tempora excusationibus præstituta, i. e. intra 30. dies (nisi itineris longinquitas plus temporis requirit) proponunt & allegant. d. §. 16. *Inst. de Excusat. d. l. 13. §. 1. ff. de Excusat. d. l. 18. C. eod.* totum autem negotium intra quatuor menses peragendum est. l. 38. *ff. de Excusat.* ita tamen ut excusationibus non admissis adhuc appellare liceat. l. 13. *pr. vers. adversus deniqz ff. de Excusat. l. 1. §. 1. ff. Quando appell.*

XLIII.

Falsis autem causis qui meruit excusationem, non liberatus est onere tutelæ. §. *fin.* *Inst. de Excusat. tut. arg. l. 1. §. 1. ff. de dol. & met. except.* Sed periculum ex eo quo constitutus est, tempore, ad eum pertinet. l. 1. & 2. *C. si tut. vel cur. fal. excusat.* XLIV.

Modi quibus tutela finitur varij sunt generis: aliis enim planè, aliis saltem quoad tutorem tutela tollitur: illi in pupillis, hi in tutore accidunt.

XLV.

Planè finitur tutela pubertate quæ in maribus post 14. annum; in foeminis post 12. annum adesse censetur. *pr. Inst. Quibus mod. tutel. finit.* quomodo tutelâ finitâ, tutor admonere debet puberem, ut sibi curatores petat. l. 5. *ff. de adm. & per. tut.* Hodie autem ex recepta consuetudine tutela in curam transit & cum ea continuatur *Guil. 2. obs. 96.*

XLVI.

Item planè finitur tutela morte pupilli, non solum naturali, sed etiam civili. i. e. maximâ & mediâ capitis diminutione. §. 1 & 3. *Inst. Quib. mod. tut. finit.* imò etiam minimâ pupilli capitis deminutione §. 4. *Inst. Quib. mod. tut. fin.*

XLVII.

Morte quidem tutoris etiam finitur tutela. §. 3. *Inst. Quibus mod. tut. fin.* uti etiam civili §. 4. *Inst. d. t.* sed saltem quoad tutorem: nam in naturaliter vel civiliter mortui tutoris locum alius surrogatur. Minimâ autem tutoris capitis diminutione finitur saltem tutela legitima. d. §. 4. quia eam qui patiuntur agnatis esse definiunt l. 7. *vers. sed legitima. ff. de capite minut.* quibus tutela legitima defertur. *pr. Inst. de legit. agnar. tut. & d. l. 7. pr. ff. de cap. minut.* sed hodie nec legitima finitur, quia etiam cognatis defertur. *Nov. 118. c. 5.* qui minimâ capitis diminutione esse non definiunt. §. 6. *Inst. de capite deminut.*

XLVIII.

Tutela testamentaria etiam finitur decursu temporis ad quod tutor
testa-

testamento datus est. l. 14. §. 3. ff. de tutel. §. 3. Inst. Qui testam. tut. dar. poss.
§. 5. Inst. Quib. mod. tut. fin. utiq; existente conditione sub quâ datus fuit.
l. 8. §. 2. ff. de testam. tutel. d. §. 3. Inst. Qui test. tut. dar. poss. Voluntas enim
defuncti hic servanda est qui datum diutius tutorem esse noluit.

XLIX.

Remotione etiam suspecti, quæ ex l. 12. tab descendit pr. Inst. de susp.
tut. l. 1. in fin. ff. de susp. tut. finitur tutela. t. t. Inst. & ff. de suspect. tutor.

L.

Non solum autem ij qui fraudulenter, sed etiam qui negligenter tu-
telam administrant, ut suspecti removentur. l. 3. §. ult. ff. l. s. C. de suspect.
tut. sive sint testamentarij, sive legitimi; sive dativi §. 2. Inst. de susp. tut.
aliquando tamen suspectis integrâ famâ adjungitur curator. l. 9. ff. de
susp. tut.

LI.

Ob solam autem paupertatem tutor ut suspectus removeri non pot-
est §. ult. Inst. de susp. tut. sed fidei ac diligenti curator adjungendus est.
l. 6. C. de susp. tut. quia non ex divitiis & facultatibus, sed ex fide idoneus
æstimandus est. l. 12. in fin. ff. de V. O. si vero ob paupertatem plane im-
par sit oneri, removeri quidem potest, sed non ut suspectus. l. 2. C. de tut.
vel cur. qui satû non ded.

LII.

De suspectis autem cognoscunt ii, quibus ejus cognitio concessa est,
ut Romæ Prætor & in Provinciis præsides & Legatus proconsulis. §. 1.
Inst. de suspect. tutor. l. 1. §. 3. ff. de suspect. tut. l. 1. §. 11. ff. ad S. C. Turpilian.
quæ tamen propter utilitatem pupillorum etiam mandari potest. l. 4. ff.
de offic. ejus cui mandat. est jurûd. Contra communes juris regulas arg. l. 1.
ff. de offic. ejus cui mandat. est jurûd.

LIII.

Suspecti autem ut removeantur, coram Magistratu postulandi sunt:
Eos autem postulare omnibus licet, non solum masculis, sed etiam fœ-
minis, modo pietate inductæ sexus verecundiam non egrediuntur. §. 3.
Inst. de susp. tut. & inde accusatio suspecti etiam quasi publica dicitur. d.
§. 3. quatenus publicorum judiciorum executio etiam omnibus compe-
rit. §. 1. Inst. de publ. judic.

LIV.

Aliquando etiam nemine postulante ex officio judicis cui apertè de
talibus constat, ob favorem pupillorum removeri possunt. l. 3. §. 4. ff. de
suspect. tutor.

LV.

Damnati autem suspecti non saltem removentur, sed aliquando in-
super infamiâ quoq; notantur, uti ij qui removentur ob dolum. §. 6. Inst.

de susp. tut. & latam culpam. l. ult. §. ult. C. Arbitrium tutel. quæ dolo in-
est & in civilibus & in criminâlibus non capitalibus. l. 32. ff. depositi. l. 226.
ff. de V. s. l. 1. §. 1. ff. si mentor. fals. mod. dix. l. 11. §. 4. ff. de hui qui not. infam.
ob culpam autem levem non æquæ. §. 6. Inst. de suspect. tut. nonnunquam
etiam remittuntur ad Præfectum Urbi, ut puniantur gravius. §. 10. 11. Inst.
de suspect. tutor. arg. l. 9. ff. de tutel. l. 1. §. 7. ff. de offic. præfect. urbi. l. 1. §. ult.
l. 2. l. 3. §. 15 ff. de susp. tut.

LVI.

Deniq; finitâ tutelâ tutores iudicio tutelæ rationes reddere tenentur.
§. ult. Inst. de artilian. tutor. l. 4. l. 9. §. 5. & seq. ff. de tutel. & ration. distrab.
Ex constitutione autem imperij politica anno 1548. Augustæ lata & an-
no 1577. Francofurti renovata, singulis annis ad rationes reddendas cogi
possunt.

LVII.

Remedia juris puberibus adversus tutores competentia sunt actio
tutelæ directæ, & actio de rationibus distrahendis. l. 1. §. 21. & t. 2. ff. de
tutel. & ration. distrab. illa competit pupillis vel adultis eorumq; here-
dibus contra tutores ipsorumq; heredes. l. 1. §. 16. 17. ff. d. t. ut rationes
reddant, & quicquid dolo & culpâ levi abest commodi, vel adest damni,
restituant & resarciant. l. 1. pr. ff. de tutel. & rat. distrab. l. 46. §. 5. ff. de ad-
ministr. & per. tut. l. 6. 7. C. Arbitrium tutel. Hæc datur adversus tutores
de iis rebus, quæ durante tutelâ ex bonis pupilli ablata sunt. l. 1. §. pen.
junct. l. 2. ff. de tutel. & ration. distrab. quæ pœnalis est, quia datur in du-
plû d. l. 1. §. 10. Cui tamen rei persecutio inest l. 2. §. 2. ff. de tutel. & ration.
distrab. aliquando etiam actio furti competit. d. l. 1. §. 22. d. l. 2. §. 1. ff. de
tutel. & ration. distrab.

LVIII.

Plures autem si fuerint tutores variè conveniri possunt: Aut enim
omnes nulla facta divisione administraverunt, & singuli tenentur in so-
lidum, ita ut liberum sit pupillo vel adulto eorumq; successoribus, quem
convenire & à quo totum exigere velint. l. 2. pr. & in fin. C. de divid. tutel.
aut administratio divisa fuit: & distinguitur, aut divisa fuit à testatore,
vel magistratu, aut ab ipsis contutoribus. Si à testatore vel Magistratu
divisa fuerit, singuli saltem pro sua administratione tenentur vid. thes.
36. Si vero ab ipsis contutoribus æque licet pupillo, convenire ex tutori-
bus quem velit ac si divisa non fuisset. l. 55. pr. ff. de administr. & peric.
tut. l. 2. in fin. & l. 3. C. de divid. tutel.

LIX.

Quatuor tamen pluribus existentibus contutoribus competunt ju-
ris beneficia: nam primo iis competit beneficium ordinis sive excussionis,
cujus

eius vigore primò conveniendus & exeutiendus is est, qui gessit & administravit tutelam & ejus fidejussor. l. 2. C. si tut. vel curat. non gess. junct. l. ult. C. de divid. tutel. l. 8. C. de administ. tut. vel curat.

LX.

Secundo iis competit beneficium divisionis quò ita subvenitur, ut omnibus solvendo existentibus actio inter eos pro virili portione possit dividi. l. 11. §. 12. ff. de tut. & ration. distrab. l. 38 pr. & §. 1 ff. de adm. tut.

LXI.

Tertium est beneficium cedendarum actionum, quo licet tutori solidum soluturo ante solutionem petere, ut sibi à pupillo mandentur & cedantur actiones adversus reliquos tutores l. 1. §. 18. ff. de tutel. & ration. distrab. l. 2. in fin. C. de divid. tutel. l. 6. C. Arbitrium tutel.

LXII.

Si vero aliquis ex facto contutoris vel communi administratione, non mandatis sibi actionibus, pupillo aliquid præstiterit aut solverit, quartum ei competit beneficium, quod dicitur beneficium utilis actionis: Hoc enim casu utilis actio adversus Contutores tutori solventi conceditur. l. 1. §. 13. ff. de tutel. & ration. distrab. l. 2. C. de contrar. jud. tutel.

LXIII.

Præterea pupillis si tutores solvendo non sint, competit actio ex stipulatione contra eorum fidejussores l. 4. §. 2. ff. Rem pupilli salvam for. item hypothecaria in bonis tutoris l. 20. C. de adm. tutor.

LXIII.


Excussis autem tutoribus eorumq; fidejussoribus deniq; datur actio in subsidium adversus Magistratum, qui satisfactionem quam exigere tenetur, vel planè non exegit, vel non idoneè. §. 2. Inst. de satisfat. l. 1. pr. & §. 5. & 11. ff. l. 1. C. de Magistr. Conven. l. 46. §. 6. ff. de adm. & peric. tut. quæ etiam competit & successoribus pupilli l. 1. §. 4. ff. de Magistr. Conven. & etiam adversus Magistratus heredes sc. oblatam defuncti culpam l. 4. & 6. ff. de Magistr. Conven. l. 2. C. eod. LV.

Ne autem officium tutelæ tutoribus damnosum esset arg. l. 7. ff. quem adm. restam. aper. utq; ii facilius ad administrationem accederent, scientes, pupillum sibi quoq; ex administratione obligatum fore, Prætor contrariam quoq; tutelæ actionem proposuit, quæ competit finito tutoris officio tutoribus adversus pupillum l. 1. pr. & §. 3. ff. de contrar. tutel. act. etiam remotis l. 4. d. 2. LXI.

Datur autem hæc non solum ad repetenda ea, quæ tutor in pupillum
vel

vel ipſius rem de ſuo impendit. l. 1. pr. & §. 4. ff. de contr. tut. act. l. 3. §. 3. 8.
l. 4. ff. eod. ſed eâ quoq; uſuræ peti poſſunt. l. 3. §. 1. & 4. ff. de contr. tutel.
act. imo etiam pupillus eâ tenetur litis ſumptuum nomine l. 2. §. 2. d. t.
licet tutor in iudicio victus fuerit, ſi modo b. f. litigaverit l. 33. §. ult. ff. de
adm. & peric. tut. ſufficit enim tutori benè & diligenter negotia geſſiſſe,
licet id, quod geſtum eſt, eventum adverſum habuerit. l. 3. §. 7.
ff. de contr. tut. act.

SOLI DEO GLORIA.



Quæ de TUTE LIS proponis lemmata juris,
MiGETZMERE, probant, te coluiſſe Deum.
Sit tutor Deus ipſe tuus, ſtudiumq; gubernet,
Ut tandem patriæ ſis maneaſq; decus.

*In honorem Preſtantiffimi Dn. RESPONDENTIS
convict: dilectiſ. appoſuit*


Johan von Getel, J. D.

Ad Doctiſſimum


D N. Respondentem.

Ingenij documenta probant te mente fideli
Romanas leges volveſ, Amice, ſacras.
Hinc æterna tuum comitabit gloria nomen,
Muſaq; perpetua conſcia laudis erit.

PRÆSES.







the scale towards document

vel suspicionis causam agendo sua sponte jura pupilli
2. *vers. In divisione. C. de divid. tutel. vel ex mutuo*
usu, cujus autem tutelæ divisæ periculum nihilomi-
nune est. *d. l. 2. in fin.*

XXXVIII.

nitatem Cura habet cum Tutela: itaq; quæ hætenus
constituendâ eaq; administrandâ, pleraq; etiam ob-
XXXIX.

en nonnullis: nam (1.) in Tutela sunt impuberes § 3.
ra verò sunt puberes. *pr. Inst. de Curator.* (2.) Tutela
at ad personam pupilli. §. 1. *Inst. de tutel. §. 4. Inst.*
Cura ad bona seu res minoris. *pr. in fin. Inst. de*
tiam inviti in tutela sunt: puberes verò in cura non
2. *Inst. de curat.* quibus tamen invitis etiam datur
§. 2. quia minores legitimam personam standi in ju-
C. *Qui legitim. person. stand. in judicio non habent.*
est circa singula negotia. §. 2. *Inst. de curat. l. 8. ff.*
Tutela verò datur personæ. §. 4. *Inst. Qui testam. tur.*
persum patrimonium §. 17. *Inst. de Excus. tut.* (5.) Ha-
curator non autem tutor §. 5. *Inst. de curat.* nisi ce-
at, qui nondum administrat. §. 1. & 2. *Inst. de attri-*
ministrans impeditur impedimento plenario, à quo
d tutelam. §. 5. *Inst. de curat.* tutorem autem legiti-
ministrantem habenti interim datur Curator. *l. 10. § 7.*
XL.

ia sunt quibus tutela suscipienda impeditur vel qui-
gnitur: In illorum numero sunt omnes justæ causæ
m præbentes: quarum aliæ pro parte tutorem libe-
satur. *tutor. tut. vel curat. §. 2. Inst. de excus. tut. l. 19.*
aliæ in totum excusant, *pr. §. 4. 5. Inst. de Excus. tut.*
excus. tut. vel curat.

XLI.

usandi causæ cum sine difficili negotio ex tit. *Inst. &*
& intelligi possint, iis recensendis, ne chartæ nimis
ic superfedemus sub hac tamen protestatione, ut eò
um differendi ademptum sit arbitrium.

B 2

XLII. Qui